

8.
2


DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
HISTORIAM
MORBI CONTAGIOSI
EPIDEMICI

ANNIS MDCCCXCIII ET MDCCCXCIV
A
FRANCOGALLIS CAPTIVIS
CVLMBACVM DELATI

QVAM
EX DECRETO
INCLYTI MEDICORVM ORDINIS
IN ACADEMIA REGIA FRIDERICO - ALEXANDRINA
PRO
GRADV DOCTORIS MEDICINAE
LEGITIME CAPESSENDO
PROPOSVIT
PETRVS RENNEBAVM
WONSIDELIENSIS

ERLANGAE
IN LIBRARIA WALTHERIANA

1797.



PROOEMIUM.

Ab antiquissimis jam temporibus ad nostrum usque aevum omnes medici bene perspexerunt, singulorum morborum observationes eorumque descriptiones maximae esse utilitatis, easque multum ad rectam morborum cognitionem conferre.

Qua de re cum nemo dubitat, omnes sane in eo mecum consentient, majoris adhuc esse utilitatis descriptiones epidemiarum, praecipue earum, quae tam malignae sunt, ut per plurimos homines e medio tollant, qualis ea fuit, quam in bello, quod nostri cum republica Francogallica gesserunt, captivi, sicuti in plures Germaniae regiones, ita et Culmbacum principatus Baruthini metropolin deportarunt.

A die XVIII Ianuar. anni 1793 usque ad diem VI. August 1794 paulatim in arcem Plaffenburgensem delati sunt 1266 captivi, quorum ex numero 108 febre mox describenda maligna aegrotabant. At contagio et perniciēs hujus morbi tanta erat, ut aegrotorum numerus in dies augetur, ita ut captivorum fere nullus integer evaderet, atque ex iis 289 perirent.

Primis mensibus non solum copia aegrotorum, sed etiam perniciēs major. Sic mense Decembr. anni 1793, 277 hoc morbo decubere. Plures medici funesto hoc morbo vitam perdiderunt, et contagiosa ejus vis ad oppidum Culmbacum usque, ad radices arcis Plaffenburgensis positum, penetravit.

Rem itaque non inutilem me suscepturum esse autumo, si methodum medendi, in hac contagiosa febre maligna a me per id tempus, quo mihi cura Nosocomii Plaffenburgensis deman data erat, nimirum ab initio mensis Decembr. 1793 usque ad finem Apr. 1794, adhibitam, cum
ipsum

ipſius febris brevi deſcriptione, palam fecero, id quod eo majori cum fiducia ſuſcipere audeo, quod neminem adhuc novi, qui ad eam deſcribendam manum admoverit *).

*) Comparari poteſt: *Der Genius der Zeit*, von A. HENNINGS, November 1794. pag. 484. *Ueber Fäulniſs lebender und thierischer Körper etc. Hildburgauſen. 1795. pag. 157.*, ubi narratur, quomodo ſimilis morbus in aliis regionibus apparuit.

CAP. I.

Descriptio morbi in genere.

Lugubrem profecto morbi tristissimi historiam hic enarrare constitui. Vti vero omnia ac singula symptomata varia enumerare inutile, immo impossibile mihi videtur, ita potius animus est, generalem morbi adumbrare ideam, qualis ex plurimorum casuum singularium varietate obtineri potuit. Quem in finem et necessarium et dignum fore existimavi, ut morbi hujus atrocissimi historiam ea, qua illum observavi, simplicitate, eodemque animi candore exponerem. Non diffiteor, alios, ingenio praeditos acriori, plura forte in hac epidemica febre vidisse: ego ea solum, quae certo vidi, hic delineavi, nullo verborum ornatu, nulla hypotheseum subtilitate, sola simplici et inconcussa veritate communitus.

Morbus in plerisque per aliquot dies sese adnuntiabat, praegressa magna lassitudine, capitis gravitate, vertigine, lumborum genuumque dolore, sapore oris, jejuno tempore, ingrato et amaro, appetitu exiguo, somno perturb-

turbato, interdum cephalalgia magna, quae primis diebus persistebat absque alio sympto- mate; alii adhuc obambulantes delirare coepe- runt; alios vis morbi subito prostravit.

Morbus enim non eadem, sed, secundum variam aegri constitutionem et occasionem datam, diversa se ostendebat facie. Adeo diversae etiam indolis erat, ut quosdam sub- ito cum dejectione momentanea virium in- vaserit; alios lento quidem pede, at auctus tandem graviter, die quinta vel septima morbi, quosdam sub forma febris rhevma- ticae, cum acrioribus pectoris artuumque doloribus vagis, alios sub specie febris in- flammatoriae, intermittens variae; quos- dam longe alia facie adgressus sit.

Sequebatur tum horripilatio, cui successit ficcus et acer calor. Pulsus, qui frigoris tem- pore parvus, frequens et celer erat, accedente calore, magnitudine augebatur, aliquando tunc valde fortis, licet absque duritie; in quibus- dam tamen nec frigoris nec caloris augmen- tum valde notabile fuit, pulsusque sano fere simillimus. Cephalalgia cum vertigine in qui- busdam urgebat, in aliis fere nulla adfuit; nausea et vomitus multos cruciabat; fitis, ru- ctus, oris amarities frequenter incresebant.

Febris plerumque noctu validior, mane remissior erat, nunquam tamen penitus cessabat. Aeger vero potissimum tristis et dejectus erat. Lingua alba, flava, fordida apparebat, et dentibus sordes similes adhaerebant; alias sicca, dura, aspera, nigra lingua fuit, halitus oris ingratus.


In quibusdam enim aderat statim in morbi principio impuritas primarum viarum ex cacochylia collecta, quae porro in pluribus manifesto considerari potuit tanquam fomes seu causa materialis; in aliis eadem nullum in febrim exercuit imperium, neque expulsa febrim infregit; in aliis fomes mali in sanguine, nullo vitio in primis viis adparente, haerebat; in quibusdam materies fordida in sanguine nata, subito cum horrore in principio morbi ad primas vias deferebatur, quae vero colluvies iterum non ejusdem sed diversae observabatur indolis. Nullum proinde symptomatum agmen omnibus aegris commune et constans, neque eorum idem succedens ordo eademve series, sed haec omnia in diversis aegris diversa reperiabantur.

Vrina copia, colore et consistentia multum variabat. Alvus aliquando clausa erat, aliquando levi diarrhoea solvebatur absque
leva-

levamine. Cutis alias ficca, alias madida fuit, pariter absque levamine. Febris singulis diebus exacerbabatur, plerumque sine ullo temporis ordine, quae tamen exacerbationes in quibusdam vix percipiebantur. Saepe lumbrici per superiora aut inferiora excernebantur; interdum icterus hanc febrem comitabatur; auditus plerumque gravis fiebat.

Praesente morbo valde atroci, febris sensim augebatur, et nonnumquam, a nimia sanguinis dissolutione, ingens narium haemorrhagia diebus non criticis contingebat.

Accessere deliria, somnolentia, abdomen mirum in modum tumens, insensibilitas, et alvi urinaeque excretiones involuntariae. Sudore diffuebant aegri, cum pulsu frequenti, parvo, inaequali, respiratione frequenti, anhelosa, difficili, foetore excretorum cadaveroso, convulsionibus, tendinum subsultu, decubitu supino aegri, versus lecti partem inferiorem delapsi, qui omne auxilium respuebat et continuo delirans loquebatur, tremebat et muscas ac festucas captabat. Sequebantur denique oculi luctuosi, involuntariis lacrymis humidi; pulsus adeo frequens et parvus, ut amplius numerari non potuerit; anxietas ingens; sudor frigidus, inaequalis; thoracis repletio; mors.



Multi absque ullo exanthematum vestigio vel sanitati restituti sunt, vel e viventium numero sublatis; alii miliaribus rubris, albis, alii petechiis purpureis, alii lividis scatebant.

Mense Decembris anni 1793 morbus ad summum malignitatis gradum pervenit. Quicumque tunc temporis hoc morbo corripiebatur, difficillime eo emergebat. Contagio manifeste non solum ad omnes fere captivos Francogallos, sed etiam ad alios castelli Plassenburgensis, quinimmo ad multos oppidi Culmbaci incolas, qui propter negotia sua, vel ex officio, non poterant non cum Francogallis rem habere, propagabatur. Quinque medici, quorum cura nosocomium Plassenburgense demandatum fuerat, intra breve temporis spatium huic morbo funestissimo occubuerunt. Alii medici ac chirurgi difficillime aegrotabant ac mortem vix effugere poterant. Tanta clade ac contagionis metu deterriti cives omne cum castello commercium tollebant; angue pejus eos fugiebant, qui ex castello in oppidum venirent. Templum sacrum in arce claudebatur, nemo enim coetibus sacris interesse volebat. Pharmacopolae medicamenta ante castelli muros deponebant, unde a chirurgis excepta in nosocomium deferebantur. Nec vanus contagii


tagii metus fuit. Plures enim, qui intra castelli muros introire haud timebant, paullo post morbo hoc contagioso correpti occubuerunt.

CAP. II.

Descriptio morbi in specie.

Haec de generali hujus febris malignae decursu dicenda fuere. Quicumque historiam morbi Cap. I. enarratam exactius perpenderit, is sane perspiciet, modo descriptum morbum certe fuisse malignum, et quidem ex ordine februm continuarum acutarum. Anceps autem haereo, ex causis ab ill. HOPFENGAERTNERO (v. ejusd. *Beyträge zur allgemeinen und besondern Theorie der epidemischen Krankheiten. Stuttg. 1795. pag. 109 — 118.*) jam prolatis, de nomine huic febris contagioso imponendo. In genere, et quoad maximam partem, ad genus februm putridarum referenda esse videtur. Sed, uti jam supra monui, secundum diversitatem corporum singulorum et constitutionem, febris, nunc cum propensione plus minus in putredinem, nunc cum phlogosi, saepe magna, complicata, nunc cum summa nervorum adfectione et virium prostratione decurrens observabatur, ita ut diversa in hoc vel illo aegro essent symptomata, quae vero ad quatuor potissimum classes referri possunt.

1) Sym-



1) *Symptomata colluviei biliosae* sunt: insignis oris amaror, nausea, cardialgia, vomitus biliosus, lingua sordida, arida, oculi flavi, hypochondriorum tensio, diarrhoea biliosa, foetida.

2) *Symptomata status putridi*: subita virium prostratio, calor interdum mordax, pulsui non respondens, interdum paucus, tremor manuum, anxietates, pulsus debilis, inaequalis, petechiae, maculae lividae, lingua sicca vel nigra, anima fudorque foetens, feces liquidae, foetidae, non raro nigrae.

3) *Symptomata diatheseos inflammatoriae*: calor magnus aequalis, fitis ingens, cutis sicca, urina rufa, genae rubentes, delirium ferox, pulsus plenus, tensus, fortis, dolor capitis acutus, respiratio difficilis, gravitas omnium artuum, sanguis inflammatorius etc.

4) *Symptomata nervosa*: calor valde mitis, fere ut in sanis, facies pallida, fitis nulla aut pauca, pulsus mollis, parvus, frequens, inaequalis, lingua primum alba, dein rubra, ultimo nigra et sicca, fallax aegri sensus, se leviter tantum aegrotare, donec summa virium prostratio eum subito obrueret, calor, in morbo provectiore, tactui plerumque naturalis sese offerens, interne tamen urens, urinae crudae
aquo-

aquosae, anxietates, vomitus atri, cruenti, suffusus aurium, facies mox pallida, mox rufa, oculorum adpectus alienus, vertigo, temulentia, balbuties, tremor, stupor, abjectio animi, deliria mitia, animi deliquia, convulsiones et tandem mors succedens saepe post aliquot horas vel dies.

Quorum symptomatum, pro rerum diversitate, jungi solebant in hoc vel illo subjecto plura vel pauciora, variis nimirum obortis morbi nostri complicationibus, quae sequentes erant:


1) Complicatio *inflammatorio-biliofa*, cum signis colluviei biliosae et diatheseos phlogisticae;

2) *bilioso-putrida*, cum colluvie biliosa et humorum putredine;

3) *inflammatorio-putrida*, cum diathesi phlogistica, seu inflammatione quadam et dissolutione sanguinis;

4) *bilioso-nervosa*, cum colluvie biliosa et symptomatibus nervosis;

5) *nervoso-putrida*, quae periculosissima, dum miasma morbosum simul tam humores quam nervos adficiebat. Pulsus erat frequens,
con-



contractus, inaequalis, pressa arteria, evanes-
cens, fitis, nausea, vomitus atri, cruenti,
aestus interne urens, externe naturalem non
superans, ingens cephalalgia, facies mox pal-
lida, mox rubra, oculi torvi, vagi, lingua ini-
tium alba, dein nigra, cum deliriis, haemorrha-
giis, petechiis.

Plerumque una cum morbo ingruente ad-
erant symptomata bilioso-putrida, quae si pro-
fligari haud poterant, facile in statum putri-
dum ac nervosum degenerabant. Haud raro
tamen statim ab initio morbus aegrotum vehe-
mentius prostravit, et symptomatibus bilioso-
putrido - aut inflammatorio - nervosis incipiens
decurrebat.

CAP. III.

De causis hujus morbi.

Proximum est, ut inquiram, quidquid sit,
quod hunc morbum produxerit, ubi hic eru-
perit et quomodo?

Die XVIII. Ianuarii 1793 captivorum Fran-
cogallorum 469 in castellum Plassenburgense
deportabantur, inter quos 64, et quidem ho-
rum plurimi ipsa hac febre putrida, aegrota-
bant. Die X. Februarii sequebantur alii 206;
quo-

quorum ex numero 24 eodem morbo, paucis exceptis, decubuere. Die IV. Octobris ejusdem anni denuo adveniebant Francogallorum 383, quorum nullus febre dicta, pauci solummodo chronicis morbis laborabant. Denique die VI. Augusti 1794 augmentum captivorum 208 accepimus, inter quos viginti, partim febre biliosa putrida, partim chronicis adfectibus laborabant.

Ante adventum horum Francogallorum constitutio aëris apud nos erat saluberrima. Ad nullius aures pervenit aliquid de ulla febre epidemica putrida, aliisque morbis epidemicis. Hic et illic unus vel alter pleuritide, rheumatismo aut catarrho adfectus erat. Constitutio aëris ad morbos inflammatorios homines disponebat, temperie regnante admodum frigida ac sicca.

Castellum, in quo Francogalli tenebantur, in fronte montis est exstructum, qui versus orientem paullatim se attollit, atque a duobus lateribus, versus septentrionem et meridiem, binis aliis, iisque sublimioribus montibus cingitur, inter quos valles agris, hortis, fluviis, pratis grate virentibus difsecantur. Versus occidentem latus campus, pagorum et villorum copia ornatus, expanditur, nec ullo impedimen-

dimento abrumpitur pulcherrimus prospectus. Quare loci situs, vicinia, aëris temperies sanitate bonam et vitam longam promittunt, quibus etiam cives nostri fruuntur.

Causa itaque hujus febris malignae nec in aëris, nec in epidemica quadam, tunc temporis apud nos cognita, constitutione, nec in ipsa loci positione est quaerenda, sed manifesto illa febris, per Francogallos captos e castris et nosocomiis, e regione, ubi bellum tunc gerebatur, ad nos delata, contagione propagabatur.


Sine dubio causae februm malignarum communes, quae belli gravis tempore potissimum suscitantur, imprimis labores atque enormes fatigationes, vigiliae, injuriae et vicissitudines aëris ac tempestatis, paludum et cadaverum insepulorum exhalationes, miserum vitae genus, annonae penuria, fames, victus crudus ac infalubris, tegumentorum ac vestium defectus, immundities, etc. huic morbo ansam dedere atque ejusmodi humorum corruptelam producerunt, ut exinde miasma facile generari potuerit, quod tunc ad alios translatum, humoribus corporis dispositi communicatum, suo modo febrem excitavit. Ad contagium, ab aegrotis militibus Francogallis ad nos translatum, accedebant aliae causae, quae in
ejus-

ejusmodi corporibus male dispositis morbum alere, fovere, illumque exaltare ac malignum reddere facile possunt, nimirum:

1) *Loci, in quo captivi adservabantur, angustia.* In singula conclavia, partim admodum angusta, profunda, ac humida, congerebantur quadraginta usque ad centum homines, qui, ut frigus arceretur, potius exhalationes proprias putridas rursus hausere, quam fenestris apertis aërem renovassent.

2) *Immundities, cui hi homines ita erant dediti, ut ubicunque ipsis locus idoneus videretur, urinam mitterent alvumque deponerent, nec corporis lotionibus aut balneis, nisi vi coacti, operam darent.* Squalore foetido tecti semper incedebant; indusia ac vestimenta, ob eorum inopiam, raro mutari poterant. Conclavium parietes et area a multa aqua, quam ad varios usus, praesertim ad indusia lavanda, quisque adportabat, semper madebant. Lota quaecunque fornacis calore siccabantur; stramenta, quibus decumbere solebant, haud raro putrescebant, ita, ut non poterant non domicilia semper esse repleta variis exhalationibus noxiis.

3) *Victus male praeparatus et insalubris.* Praeter panem captivis nullus cibus porrigebatur.



Reliqua alimenta quisque emere et ipse prae-
parare solebat. Plurimis pecunia deerat ad
emenda alimenta paullum cara. Maxima itaque
captivorum pars fere semper caseo, cepis,
allio, pisicis, lentibus, et cibus ex farina
confectis fruebatur, quae ob artis bene co-
quendi imperitiam haud raro cruda ac semi-
cocta edebantur.

4) *Vestimentorum defectus.* Quamvis cui-
bet captivorum vestimenta necessaria ex aera-
rio regio porrigerentur, multi tamen ea vel
vendebant, vel ob negligentiam iis haud
rite utebantur, ita, ut plurimi, nudis pedi-
bus, indusio lacerato solummodo tecti, ex
conclavi calido foras per nives et glaciem ob-
ambulantes, ante portam res suas agerent vel
ludis se oblectarent.

5) *Animi pathemata,* inprimis moeror, tri-
stitia, amicorum patriaeque desiderium etc.

CAP. IV.

De prognosi.

Sequitur, ut quaedam ad prognosin spe-
ctantia in medium proferam. In genere huc
applicari possunt omnia, quae in febribus ma-
lignis aliquid boni vel mali portendere solent.

Diffe-

Differebat prognosis ratione causarum occasionalium et concurrentium, morborum praegressorum, subjecti, gradus morbi, copiae et vehementiae symptomatum, corruptionis sanguinis, complicationis, dispositionis corporis et aetatis. Interdum enim ab initio morbus vix gravis videbatur, brevi tamen infelix successit mutatio. Interdum tristitia se offerebant symptomata, sed brevi post sanitati restituti sunt aegri.

In universum junioribus magis, quam aetate provectoribus, cholericis et sanguineis magis, quam phlegmaticis, tenuioris conditionis hominibus citius, quam bene viventibus, immundis magis, quam puris, succis pravis praefertim in primis viis scatentibus magis, quam perfecte sanis, funestus hic morbus esse solebat. Aegrius et periculosius etiam illi decubere, qui venere, aut morbis chronicis ante jam debilitati erant, aut organico quodam corporis vitio laborabant, aut qui tristioribus animi pathematibus erant subjecti. Vix eorum quispiam evadebat.

Iudicabatur febris nostra iisdem crisi-
bus, quae solemnes sunt febribus acutis malignis in genere, urina nimirum cocta, diarrhoea, potissimum vero sudore critico.

Bonum morbi exitum sibi polliceri aeger poterat, qui usque ad septimum morbi diem pervixit; certius, qui ad nonum, et cui simul erat levis et aequalis calor, lingua humida et naturalis coloris, pulsus aequalis ac mollis, sudor aut urina cocta aut diarrhoea cum levamine.

Quo citius, quo plura, quo graviora conspiciantur symptomata, quae vulgarium morborum letales exitus indicant, eo pejus res aegri agebatur. Ideo febris nostra cum inflammatione complicata letalior erat solitaria. Aegri, qui usque ad septimum diem nec sudore, nec urina vel diarrhoea levabantur, simulque magno calore et capitis dolore vel somnolentia vexabantur, raro servari poterant; moriebantur plerumque cum vel sine petechiis die nono. Obierunt quoque diem supremum, quibus quidem erupit sudor, somnolentia vero, anxietate, aliisque symptomatibus malis praecedentibus relictis, vel adhuc auctis.

Vomitus et alvi fluxus sine virium decremento, et petechiae miliares septimo die apparentes, nullum vitae minabantur periculum. Si vero vomitus post aliquot dies non cessabat et perdurabat, malum erat, indicabat enim inflammationem vel in cerebro vel in ventriculo.

culo. Letalis etiam alvi fluxus ex colliquatione humorum oriundus.

Calor nimius malus, pejor, si simul inaequalis; petechiae latae, nigrae, letales. Pessima species erat, si color variegatus et luridus erat. Serius apparentes maculae vix exitiales, si sub largissimo sudore calido rubicundiores fiebant; malum vero, si contra.

Malum, si a sudore pejus se habebant aegri; malum, si a sudoriferis sumtis nullus succedebat sudor. Subita et ingens virium prostratio necabat, nec non deliria in principio morbi nata.

Anxietates, citra insignem febrem, apthae, palpitationes cordis, vigiliae, animi deliquia, sopores, motus tremuli manuum, pedum et linguae, subsultus tendinum, lingua nigra, respiratio laesa, dolor in visceribus quibuscunque, singultus, oculi rubri, anhelitus foetens, mali ominis erant.

Haemorrhagiam narium ab initio corpora quaedam plethorica levasse, interdum observatum est. Post quintum vero diem periculosa, praesertim parca, narium stillicidia; item dejectiones alvi cruentae, vomitus niger et cruentus.

Vrinae fanorum fimiles periculosae; turbidae et cum sedimento criticae; pingues, oleosae, lividae, foetidae, hypostasim nigram vel lividam habentes, aut colore variantes, exitiales.

Si febris post septimum diem subito sine ulla critica evacuatione cessabat, tunc metastases erant metuendae vel ad parotides, vel ad pectus, ad cerebrum, ad intestina, vel ad extremitates. Has metastases plerumque inflammatio, suppuratio, vel sphacelus sequebatur. Metastases ad viscera nobiliora, cerebrum, pulmones, intestina exitiales; ad extremitates vel ad parotides, haud sphacelosae, bonum exitum sperare sinebant. In uno per sputum purulentum metastasis ad pulmones sanabatur.

Supra jam monui, e numero captivorum 1266 nullum fere evasisse integrum, atque periisse 289. Hinc letalitati gradus hujus morbi funestissimi dijudicari potest. Quintus quisque aeger mortem oppetebat.

CAP. V.

De methodo medendi.


Quod attinet ad methodum huic morbo funestissimo medendi, prima lex mihi semper fuit, ut attendendo ad molimina naturae, ea non

non turbarem, sed iis succurrerem, ut, quo citius fieri poterat, miasma vel causa morbi materialis e corpore expelleretur, quod plerumque per sudores fieri solebat. Id effectum est, vires nimis intensas (quod vero raro fiebat) solvendo; contra ex dissolutione sanguinis putrida vel ex statu laxo aquoso, debilitatas erigendo, roborantibus, antisepticis, nervinis, (quae quidem indicatio frequentissima); bilem vero turgentem corpusque turbantem ejiciendo. De singulis his morbi speciebus earumque cura fusius quaedam dicam.

1) *Cura morbi, ubi aderat inflammatoria diathesis.*

Praesente plethora, febre maligniore, sub initio morbi, et praesertim diæta aestuosa praegressa, aegro aetatis vegetae, cum pulsu pleno, tenso, forti, dolore acuto capitis; si aeger ab initio statim in soporem incideret, deliraret, respirationem difficilem et pleuriticam vel peripneumoniam aliquid haberet, sanguinem mittere haud dubitavi, habita tamen ratione virium aegri.

Absente vero plethora et in progressu morbi, imprimis post quamlibet cutaneam materiae malignae eruptionem aequè perniciose erat



venaesectione, ac alvi aut alia quaevis similis evacuatio.

Praestans post venaesectionem remedium erat emeticum ex ipecacuanha et tartaro emet. initio morbi exhibitum. Adnotavi memorabiles casus, in quibus, post emetica statim propinata, et postea data levia sudorifera, morbus mox reprimebatur et plenaria curatio succedebat.

Reliqua materiae malignae pars in sanguine existens, quo citius expellebatur sudore leni, at promoti, non tincturis calidis, nec essentiis bezoardicis, verum iis remediis, quae temperant, diluunt, et materiam sudore eliminandam ad hanc excretionem aptam reddunt, et quae simul conjuncto suo acido corporis ad putredinem proclivitati resistunt. Qualia sunt: decoctum hordei, cum oxymelite, succo citri, cremore tartari, roob sambuci, nitrum, antimonium nitratum per inspissationem paratum, spiritus Mindereri, camphora, serum lactis, decocta cardiaca cum succo berberum etc.

2) *Medela morbi cum colluvie biliosa.*

Praecipua in hac aegri conditione remedia erant evacuantia et diaphoretica, deinde antiseptica roborantia.

Eva-

Evacuantium classem absolvunt emetica, purgantia et clysmata. Conveniebant emetica initio morbi vel primo die data, tam, ut supra dixi, ad fomitem morbosum e ventriculo ejiendum, quam ad materiam biliosam turgentem eliminandam. Si vero nec plenitudo ventriculi aderat, nec suspicio deglutiti contagii, sive cibi sive salivae ope, id quod accidere potuit in clauso praesertim conclavi, ubi aegri coacerati decubuere, vel inflammatione ventriculi, aliisque visceris, urgente, et in progressu morbi viribusque jam prostratis, abstinendum erat ab emetico.

Alvum ducentia remedia, in febribus putridis adhibenda, serio quidem dissuadent nonnulli auctores, atque a lenissimis diarrhoeas letales cum animi deliquiis se observasse memorant. Interim, ubi plenitudo ventriculi, diuturna alvi obstructio, murmura ventris, meteorismus, dolores lumborum, saburraque intestinorum adest, purgantium lenium vel clysmatum usui locum relinquere, quis prudens medicus dubitabit? Ego quidem ex eorum usu sub dictis conditionibus non solum nullum damnum, sed potius maximum emolumentum observavi.

Evacuata primarum viarum saburra, de promovenda transpiratione, remediis in para-

grapho praecedenti laudatis, cogitandum erat. Dein vires debiliores forte, vel jam fractae, erigi debuere nervinis roborantibus, simul sine mora praescriptis, atque tunc tamdiu continuatis, donec omnis plane cessasset febris.

3) *Curatio morbi, praesente statu putrido.*

Simulatque aderant putridae dissolutionis sanguinis signa viriumque languor, removenda erant omnia debilitantia, ut venae sectiones, purgantia, et praeter emetica solummodo ordinanda erant talia, quae putredini resistunt, debilitatem tollunt, et roborante, excitante, calefaciente et stimulante vi gaudent. Talia erant cortex peruvianus, vinum rhenanum, camphora, spiritus vitrioli, succus citri, acetum, flores arnicae, rad. arnicae, valerianae sylvestris, alumen, folia rutae, scordii, radix serpentariae virginianae, contrayervae, angelicae, cortex aurantium, flores chamomillae, acetum rutae, camphoratum, bezoardicum, sinapismi, et vesicantia.

4) *Methodus medendi feбри nervosae.*

In periculosa hac morbi specie animi attentio potissimum ad nervorum perturbationem erat dirigenda. Praescribenda erant remedia, quae in nervos potissimum agere solent, ut moschus,

schus, camphora, rad. valerianae filvestris, infusum corticis peruviani, florum arnicae, rad. serpentariae virginianae, liquor c. c. succ., camphora in liquore minerali anodyno Hoffmanni soluta, mentha piperitis, elixir. vitrioli, naphthae vitrioli atque aceti, tincturae bezoardicae, spirit. c. c. aceto vel spiritu vitrioli saturatus, cortices aurantiorum, tinctura corticis peruviani, sinapismi et vesicantia. Caeterum removenda erant omnia, quae nervis inimica sunt, ut venaesectio, purgantia. Non spernendum vero hic pariter emeticum in casibus supra laudatis.

5) *Cura in statu morbi complicato.*

Ex antecedentibus patet, nonnunquam harum nominatarum morbi nostri specierum concurrisse aliquas in eodem subjecto, et constituisse febres complicatas. Hic ergo necessaria composita pariter medela. Qualis fuerit, facile ex antedictis erui poterit.

Complicatio itaque

1) *inflammatorio - biliosa* curabatur emeticis et temperantibus;

2) *bilioso - putrida* sanabatur emeticis et antisepticis;

3) *in-*

3) *inflammatorio - putrida* temperantibus cum antisepticis;

4) *bilioso - nervosa* emeticis et nervinis;

5) *nervoso - putrida* antisepticis et nervinis.

Maxime urgentia morbi symptomata tollendi vel leniendi scopo, praecipua interdum adhibenda erant remedia. Ita, si aeger deliraret cum pulsu forti et oculis rubicundis, scarificavi nucham, vel applicavi capiti hirudines et pedibus sinapismos, propinatis simul acidis et camphora cum nitro. Si vero cum pulsu debili et facie pallida deliraret aeger, applicavi vesicantia, pedibus fomentationes ex aqua et aceto rutae cum pannis laneis, et interne dedi corticem peruvianum, moschum, vinum, camphoram. Eadem remedia opposui comati. Egregie conveniebant contra syncope sitis horizontalis, vinum, spiritus nitri dulcis et roborantia; nec non acetum et spirituosum ad nares ducta.

Contra subsultus tendinum, tremores, convulsiones, moschus, camphora, spiritus cornu cervi, vesicantia.

Contra vermes radix valerianae silvestris.

Vomitus ex faburra primarum viarum curabatur ipecacuanha; absque faburra, et viscerum



rum inflammatione, theriaca cum aceto et camphora, aut potione antiemetica Riveriana.

Anxietates levavi, si ex faburra primarum viarum ortum traxerint, emetico; si ab atonia, stimulantibus; si ex animi pathematibus, paregoricis; si ex plethora, venaesectione.

Ardor stomachi, e bile oriundus, poscebat emeticum; ex inflammatione, antiphlogistica; e miasmate putrido, cardiaca, nervina. Haemorrhagiae erant sistendae alumine, vino rubro, cortice peruviano, spiritu vitrioli.

Sudores enormes compecebant regimen temperatum, cortex peruvianus, spiritus vitrioli, alumen, salvia, vinum rubrum.

Diarrhoeae, moderatae tamen et levantes, sibi erant relinquendae; at colliquativae, sistendae spiritu vitrioli, radice arnicae, cortice cascarillae, peruviano, simaruba, elect. diascord. Singultus ex ataxia nervorum moscho tollebatur, ex faburra primarum viarum emetico. Si simul aphthae aderant, mucilaginosae exhibui.

Aphtharum dolens in faucibus apparitio, praeter causae latentis curam, frequentem ac blandam exigebat oris collutionem; si vehemens dolor ac phlogosis deferbuerit, tunc bo-


racis

racis aut vitrioli albi solutionem cum melle magis convenire observavi. Interdum aphthae adeo frequentes aderant, ut fauces fere occluderent, et respirationem impedirent. Hoc in casu maxima opus erat diligentia, ne aeger subito suffocaretur. Iteratis injectionibus ex solutione boracis cum mucilaginosi, contra hoc malum, cum decocto cort. peruviani, addito mucilagine gum. arabici interne usus sum.

Stuporem, oculorum obnubilationem, vertiginem, post morbum superatum interdum remanentem, sanavi vesicatorio ad nucham applicato, et roborantibus.

Meteorismus pro causae latentis diversitate, nunc evacuante, nunc roborante, vel fermentationibus ex aceto, nunc vesicatorio, nunc nive aut glacie in abdomen imposito curabatur. Prae caeteris laudem meruit mixtura e camphora et moscho parata.

Metastases ad partes internas nobiliores, quae praecaveri haud poterant, semper letales, ob cito subsequenter gangraenam, omne auxilium respuebant. Unus aeger, cui metastasis ad pulmones acciderat, venaesectione, camphora et vesicatorio, inflammatione orta feliciter discussa, sanatus est. In altero inflammatio



matio pulmonum metastatica in suppurationem abiit, postea promotio sputo purulento curata. Metastases ad partes externas emollientibus et fomentationibus maturantibus tractabantur, ut, quo citius fieri posset, pus educeretur. Vbi abscessuum maturatio retardari videbatur, irritantibus, e. g. cepis cum pane coctis, gum. ammoniaco cum aceto squillit. mixto, sinapi etc. promovebatur. Ulcus subsequens aliquamdiu apertum erat servandum, nec nimis cito claudendum. Si ejusmodi abscessus metastatici valde doluerint, emollientibus opium addidi. Tumores duri in partibus ossibus, tophis similes, unguento neapolitano emollebantur.

Maculae sphacelosae gangraenosae fovebantur decocto cort. peruv. vel falicis fragilis, addito scordio, vino, aqua theriacali, camphora vel alumine, simul eorum internus usus in auxilium vocabatur.

CAP. VI.

De cura diaetetica et prophylactica.


Cum de contagiosa hujus morbi natura nullum existeret dubium, omni, qua fieri poterat cura, ulterior contagii propagatio impedienda erat.

erat. Hunc in finem omne commercium inter fanos et aegros, quantum licebat, tollebatur. Suspecti sine mora e numero fanorum exempti in conclave aliud, huic ufui destinatum, deferebantur; infecti in nosocomium. Hoc in altissima castelli parte, quae versus occidentem spectat, erat instructum, et in plures cameras separatas divisum. Singula conclavia, fatis ampla et alta, iteratis vicibus aere libero, igne, suffitu et lotione aqua et aceto purificabantur, atque in genere summa observabatur mundities, tam in nosocomiis, quam in domiciliis fanorum.

Caeterum omni diligentia illae causae removebantur, quas morbum fovisse et depravasse supra dixi. Sed hoc opus, hic labor! Omni severitate opus erat, ut Francogalli his sanitatis legibus se obligari paterentur.

Quod reliquum est, omnia ea sedulo fiebant, quae ab optimis auctoribus ad suppressendam contagii cujusdam propagationem, et ad promovendam felicem ejusmodi morbi curam, commendantur auxilia.

Dolendum solummodo erat, quod ab initio tam loci, in quo Francogalli adservabantur, quam aliarum rerum, conditio impederit, quo
 minus





minus primis statim mensibus haec cura prophylactica ex votis adhiberi et malo incipienti opponi potuisset. Quibus enim remotis ac mutatis impedimentis, mox aegrotorum numerus, cum morbi malignitate ac letalitate, minuebatur.

Quod attinet ad regimen diaeteticum, fanis commendabatur acidorum usus, vita sobria, levis at repetita corporis exercitatio, animi tranquillitas, mundities, balnea, cubiculorum frequens renovatio, aër liber, purus, vapore aceti, fumo ligni et baccarum juniperi, vel pulveris pyrii crebro purgatus. Abesse iubebantur e contrario omnes exercitationes corporis nimiae, omniaque corpus debilitantia, idemque calidum refrigerantia atque sic ad contagium fuscipiendum disponentia. Vitanda pariter erant omnia cruda, farinacea, leguminosa, caro suilla, caro salita et fumo indurata, pisces saliti etc. abusus spiritus vini, cubacula calida, frigus, libido, animi motus fortiores etc. In genere omnes eo redibant fanis praescriptae regulae, ut toto vitae regimine omni studio bonus succus nutritius, inde boni reliqui humores, in corpore integro ac bene valente praepararentur, atque sic morbus metuendus praecaveretur.

Ipso verum jam morbo adfectis vitae ratio eadem esse debebat, ac in febribus putridis in genere. — Chirugos, clericos, aliosque qui cum aegris vi officii rem habuerunt, monui, ne eos adirent ante jentaculum, nec aliqua virium jactura adfecti, nec sudantes.

Quoties et quamdiu ipse aegrotis adfui, fumum tabaci semper hausi et sanus mansi. Idem felici successu fecere omnes chirurgi. Solemne aliis erat, antequam aegros inviserent, tempora, nares, scrobiculum cordis omnesque articulationes bono fricare aceto. Denique commercium cum aegris, quantum licuit, evitavimus; hinc si aegrum convenire nos oportuit, non nimis prope ad illum accessimus, nec faciem illi admovimus, retinimus spiritum, urgente diligentius eum investigandi necessitate, vel spongiam aceto madefactam ante os tenuimus; saliva nunquam a nobis deglutita est, et domum reversi vestes exuimus et mutavimus, nec quid ingessimus, nisi antea ore pauxillo aceti colluto. Abstinebant igitur curam aegrorum habentes ab omni cibo potuque in eorum conclavibus. Optimum caeterum prophylacticum erat fiducia animique constantia, res domi non angusta, vita sobria, mundities, victus temperans acidus, modicus vini usus, corpus sanum, ejusque forte impuri, pro singulari suo statu vitioso, emendatio.







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimètres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black



